1.†

IN NOBILE ADMODUM INTER GALLOS DUELLUM

CARMEN Ἐπινίκιον.

Musis Oxoniensibus Sacrum.



OXONIÆ,

Excudebat *H. H.* Impensis *Edv. Forrest.* 1667.

[illegible]

Jaxle

7.

IN NOBILE ADMODUM INTER GALLOS DUELLUM


CARMEN ἘΠΙΝΊΚΙΟΝ.

Muſis Oxonienſibus Sacrum.



OXONIÆ,

Excudebat *H. H.* Impenſis *Edv. Forreſt.* 1667.





IN NOBILE ADMODUM INTER GALLOS DUELLUM CARMEN 'Επινίκιον.



GAlle Sacer Phœbo, Musis & Apolline Natis
Chare, mihi Charus, sis mihi, Galle, Sacer.
Impiger Ipse Vigil Noctis, Noctu mihi Musas
Das Cantu vigiles, accinis Ipse datis.
Moxq;, magis Musis, Auroram reddis amicam;
Experrecta tuis Cantibus Illa venit.
Necdum obmutescis tibi dum, Musisque Supremus,
Cantando, Dominus Solicitatus adest.
Maximus inter Aves Vigil es, Mihi Maxime Galle,
Atque Idem Pugil es Maximus inter Aves
Noctem agit insomnis mage Noctua, Noctua Prædæ,
Sic magis invigilat, non vigilatque magis.
Sic Aquila est robusta magis; robusta Rapinæ est:
Vis est, non Virtus sic genuina, Rapax
Non Vigil est Noster Prædando, ut Noctua, Gallus;
Non Rapiendo, Avium Rex velut Ille, Pugil

Prælia majores, gerit hic habitura Triumphos;
Prælia dum Spolium non habitura gerit.
Vel natum Bellis hunc indicat igneus Aer
Elati Vultus; Lumen & Igne micans:
Sanguineæ Cristæ Semper VEXILLA Supernè
Expansa; & Rostri, bellica Cestra, trucis:
Longiùs auditæ Vis, & Contentio Vocis
(Crede mihi non est hic SINE MENTE SONUS.)
Gressusque Excelsus; quo non magis ille Gradivi
Vel Martis potuit Martius esse Gradus.
Denique uterque Ensis peracuta Cuspide, bino
Semper Districtum quem Sibi Calce gerit.
Calce Fugæ instructum est Animantum Vulgus; Arenæ
GALLUS; Nec, cum Calx vertitur, Ille fugit.
Nec minor est miri Virtus depr'hensa Volucris,
Quam præ se signa hæc indubitata ferunt.
Manticulâ exclusum quamprimum viderit Hostem,
(Exclusum & quia sic viderit, Hostis erit.)
Quò solitas Iras, Virtutem & Suscitet Iris;
Alatis Virgis cædit utrumque Latus.
Haud Mora (nec didicit Pugnam differre paratam
Tractando) Belli Buccina, PRÆCO sui.
Spectantes Alacris dum Spectat, Voce Canora
Impressus primos cornea Bucca Sonat.
Mox Hostem aggreditur, mox Involat, Intonat Hosti,
Involat aggrediens, Insonat Hostis Ei:
Colla extenduntur plumosis obsita Villis
(Prima ac si Rostris Pars peragenda foret.)
Colla extenduntur; More extenduntur Eorum,
Mutua qui Se inter Basia amica ferunt,
Mos Idem; longè Mens est diversa; Volucres
Non Labio Labium, Calce Labella petunt.

Colla extenduntur; Nec frustra extensa putemus:
Extensi Colli plurimus Usus erat.
Majori GALLUS sibi Colligit Impete Calcem,
Quantò plus Collum, Porrigit Ille, Suum
Æmulus humani, Calx nobilis Ille, Lacerti,
Quò retro plus fertur, fortior Ipse Cadit.
Æmulus & Pedis est; antrorsum Longius inde
Emicat hic, Passus Si retroactus erit.
Extenso Collo; propè sic Speculatur uterque
Utriusque Pedem, Lumen, & Ora propè.
Sic Pede perspecto cum Lumine, discit ab Hoste,
Quo directurus Lumine Tela Pedis.
Oráque sic perspecta docent, quos seligat Ipse
Certos, quo mittat Spicula certa, Locos.
Et Loca certa satis selegit Uterque; sed istis,
Immisit Neuter Spicula certa, Locis
Hæc versus non rara volant; rectâque volarunt:
Haud tamen attingunt his tenus, Ulla, Locis.
Calce Viæ Capiti clausæ sunt; primáque Pugna
(Ut Pugil) ac Capitis, plus sibi Calcis habet.
Calcibus armatis opponunt Spicula Spic'lis:
Hoc illud Calcar dum retro Calcar agit.
Nempe Suum petitura Caput Sic dira, Lacertus
Fortis Tela, Hostis vel Caput usque, refert.
Prima ipsis dantur redduntur Vulnera Telis:
Ensisque, ac Scuti, Munera Calcar habet.
A Capite ad Calces intactum huc Corpus: Utrique,
Ensibus è binis defuit Unus, Avi,
Utrinque, ut promptis scissa, interscissa, Lanistis,
Integro interea Corpore, Tela vides.
Hanc Gladiaturam sequitur pessum Ictibus illa
Pugna, ferox minus, at Pugna Cruenta magis.

Accedunt propiùs: Mox hinc, mox inde Vibrata
Spicula, utroque, fodit Corpus utrumque, Pede.
Fervida Arena prius multo Sudore Volucrum,
Humida jamque magis Sanguine Arena fuit.
Sanguinis haud vehic'lum, quævis, GALENE, Cruoris
Venula jam fluvius, Venaque Flumen erat.
Circuitus, HARVÆE, tui justissima, Bello
(Ut solet) oblita en Lex, modo lata, jacet.
Gallorum GYROS Sanguis vel negligit ipsos:
QUA DATA PORTA RUIT; Portaque multa datur.
QUI COLOR ALBUS ERAT, rubro mutatur; & album
Vix Dominus GALLUM Noverit Ipse suum.
Sufficit haud multo fossum jam Vulnere Corpus;
Redditaque alta magis Vulnera Vulneribus.
Nec mora; longa nimis Bella in Compendia mittunt:
PHŒBE, tibi Sacrum quæritur inde Caput.
Obmorsum primo leviori Vulnere Rostri,
Impactum, graviùs, Calcar ut inde ferat.
Mutua non mordent teneras sic Rostra Columbas:
GALLUS GALLINÆ, aut, Occiput Ipse Suæ.
Hinc multum Rostro, plus multò Calce Cruoris
Promit Uterque; &, quem promit, Uterque bibit:
Purpureus quò plus promptus, plus potus & humor:
Quo plus potus erat, plusque sititus erat.
PENNIGERI haud Capitis Satiandi Sanguine CYRI:
Suffocare potest, non Satiare potest:
Suffocare potest? Hosti, non Vertice rarò
Depromptus proprio, Guttura Strinxit, Avi:
Haud etiam memoris Sic obliviscitur Iræ:
Ipse Cruor Capitis Sagus, & Ipse memor:
Seque Sua minùs Arce potens tutando, vel Hosti
Delendo, erumpens, fit magis inde potens.

GALLUS

Gallus & extinctus Victurus penè Cruore est:
Nec penitus minus hic insatiatus erat:
Sanguine mutato tandem cum Sanguine; plenus
Sanguinis Hostilis fit, vacuusque sui.
Halitus, immisso sub Sanguine, Succubat Hostis:
Sanguine cum proprio, Vis, fugiente, fugit.
Arte opus est Fulcro labentis Roboris; Arte
Partes en meliùs præstitit Ille suas!
Ales Apollineus medica vel Apollinis Arte
Præstans, en ipsam Novit & Anatomen:
Communes Capiti Novit, cum Corpore, Venas:
Sanguineas Calx, dum dissecat, hasce docet:
Sed propriam, Novit Sedem Caput esse Cerebri:
Spiritus, hic Fontem, quodque Animalis habet:
Astutus quærit Volucris tentamine Rostri,
Qua Cerebrum (Cor cum non queat) Ipse petat.
Fons, tam vivaci, Vitalis ut effluat, Hosti;
Calce truci ingratam, sic reserante, Viam.
Hoc nec Apollinei Specimen solus Ille Volucris
Dat: varia Martem, temperat Arte, suum:
Hostis ut intonuit Capiti, quanta Arte, repensos
Contra Ictus, Capiti consulit Ipse suo!
Hostiles frangit, repetitis Ictibus, Ictus:
(Queis cum Hostique nocet, Seque tuetur, habet.)
Flexilis & Colli Donum bene Novit, & Usum:
Inflexa, en tutum, dant Sibi Colla, Caput.
Alas Hostis adit, Caput invisumque Sub Ala
Occulit; Ala Hostis tutus Asylus erit.
Hoste icto resilit sic, ictus ut Ipse, fugati
Se similem præstat; Non tamen Ipse fugit.
Dum currendo, Aliis Pulmo lassatur, anhelus
Currendo, lassum sublevat Ille suum.

Scilicet,

Scilicet, inviſum pleno Evomit Ore Cruorem;
Aut demergendo, Guttura plena levat:
Sicque, inimica adimit modò quam ſibi Sanguinis hauſti
Copia, Spirandi Copia amica redit.
PARTHICA BELLA gerit, tranſverſáque Spicula torquet:
Nec tranſverſa minùs Spicula torta Nocent.
Hæc, atque hæc dubii quærens Compendia Belli,
Callidus in Gyros vertitur Ille ſuos.
Tandem exoptatam Nactus ſibi temporis Anſam.
Hoſtem, hunc qui petiit, reppetit Ipſe recens.
Inſtaurata Acies: Non Nunc Succeſſus, ut ante,
Non Uſus varius Martis, & Artis erat.
Pennatos circa Pugiles VICTORIA PENNIS
Amplius ambiguis non, velut ante, Volat.
Viribus, at PHŒBI Dono, majoribus Uſus,
Fortuna, eſt GALLUS, cum meliore Redux.
Hoſtis, quod Pedis, huic, modò foderat Haſta, volutum,
Uno aliud, cernit Lumine, Lumen humi.
Mox aliudque alio peracutæ Cuſpidis Ictu,
Effoſſum Sentit, non videt, Ille ſibi.
Tertius huic Oculus periit quoque; Charior Ipſi
Binis vel propriis tertius ille fuit.
Tertius huic proprius, MUNDI COMMUNIS OCELLUS:
Phæbi, Phæbei Luminis orba Avis eſt:
Nec miſeræ Locus eſt Oculi ſic Orbus inanis;
(Dixeris hanc Lachrymam) Stilla cruenta replet.
Lumina ſic, Solémque magis, quam Lumina, adempta,
Quam SOLEM, amiſſum plus dolet Illa * DIEM:
Plus Cæci Dominus GALLUM, plus Pignora lugent
Conſortes, cæcæ Munera Cæca Deæ.
Vidit Ovans, primum qui vidit Lumen ademptum,
Quiſquis felicis Partibus hæſit Avis:

* Non magis e- beſcit Galli ites, Sciens glicisſmum iens; quam

Fœlici

Fœlici repetito Ictu; repetitus & Ipse
Summus jam clamor, Sydera Summa petens:
Clamori auscultans gemino Victoria præstat
(GALLI, ut Sol, binis Cantibus, Ipse) * DIEM.
Nec tamen Ira minor GALLO sic Luminis Orbo:
Cæcior Ira quidem; nec tamen Ira minor.
Amissis Oculis; Oculis amittitur Hostis:
Amissum haud Oculis quærit, ut ante, suis:
Perquirit Rostro, Calce hunc perquirit, ut ante,
Calx nec, ut ante, tamen, Rostra nec inveniunt:
Hoste nec invento Rostro, nec Calce; Vel Omne,
Quod Calce, aut Rostro repperit, HOSTIS erit.
Hunc modò Spectantum Rostrat, modò Calcitrat illum:
Omne huic Crus Hostis; Tibia GALLUS huic.
Officiosa Manus rectâ hunc en mittit in Hostem:
Hostis & hæc habita est Officiosa Manus.
Pr odiga Tela ferè vacuas profudit in Auras:
Et quem non cernit, cernere Visus erat.
In Mentem non vera ferunt Phantasmata Ocelli;
Obque Oculos quasi sint, fert Ea falsa foras.
Neglecto, interea Victurus Obambulat, Hoste:
Vix Cæcam inflexo Lumine donat Avem.
Perficienda monet Circi dum Prælia Clamor
Atque alios Pugiles fervida Arena Vocat.
Lumina tum primò, mox Calcar torquet in Hostem,
Vitam erepturum, Lumen ut eripuit:
Hunc coram, præstòque habuit, dum quæsiit, Hostis:
Nunc demum propius, quam velit, Hostis habet.
Nunc Capiti invitus Præsentem repperit, Orbis,
Præsentemque Oculis, repperit Ille, Locis.
Scilicet Ore Caput mordet Victurus; & ista
Sic Loca, fatali Calce petenda, petit,

* erubuit Aristoteles Grammaticus, qui Sciens fecit Solæcismum.

Invenit;

Invenit; inque Caput pertrudit Nobile Calcis
Hac Ferrum, ferri vel Capulum usque sui.
Hostis inest Cranio; Non Nunc Phantasticus, ante
Ut fuerat, Cranio verus at Hostis inest.
Aspera per Loca sic tractans Fabrilia Clavos
Urget, jam Subulis, præpenetrata, suis.
Ægriùs impressit; multò ægriùs Extrahit Ensem:
Vaginæ haud Ensis nempè suetus erat.
Conditus en Hostis Cranio jam primus; Et ipsa
Jam MATRE in DURA conditus Ensis erat.
Hoste extracturus (Visu mirabile) Calcem,
En Hostem ad Calcem sic trahit Ille suum:
Tres GALLI haud Passus; toties Pugnacula circum:
(Tractns ACHILLEIS forsan ut HECTOR Equis.)
Sive triumphali Veterum Se More gerebat:
(Nam veterum dignus More Triumphus erat.)
Sive erat immeriti Nota sic purganda Pudoris,
Si quis tot Gyros tot putet esse Fugas.
(Nam totidem Circum circa (tres nempe) ferebant
Hunc Gyri, à tergis Hoste premente Pedes.)
Calcar adhuc hæret; Bellique Novissima Scena
Spectatu dignum postulat Artis Opus.
Calcar contra Hostis Cranium Muniverat Arte;
Calcar & è Cranio liberat Arte, suum.
Scilicet occiso, Pes liber, Mortua GALLO
Colla premit; citò sic Calcar & extrahitur.
Nec jam Sanguineum, Cerebrosum hoc extrahit: Unde
Effluxere Oculi; Vita', Animusque fluunt.
Exanimem in GALLUM non sævit, Nullus Amicus
Est Vivus, Nullus Mortuus Hostis erit.
Circumspectat, habet sua quos Victoria, Testes:
VICTOREM Astantum tota Corona sonat.

Consonat

Consonat & Victor GALLUS; Pæana Triumphi,
Bellum quæ sonuit, cornea Bucca sonat.
Musa sile; GALLUS dignus Sua (Cæsaris instar)
Solus quique Gerat Prælia, quique Canat:
Charior hoc Musis: Musarum ac Herculis Unum
Templum; Bellona ac Una Minerva Dea est.
Inter Aves GALLUS, GALLOS fortissimus inter,
NOSTER; Nostri ingens, GLORIA, CALCAR habet.
Cum nostro in Pugnam qui sic committitur Hostis
CASTRATUS GALLUS, debilis ecce *Capo* est.
Castrati sic Castra petant sua Martia *Galli*;
ANGLIS nec Virtus, nec Metuenda LUES.
Bella tibi justis, en Lector, picta Figuris!
Et sua sic Noster Vult tibi picta Pugil.
Hæc PRIMUS, justò, PICTOR, *MAJORA*, SECUNDUS
Picta tibi justò Bella *minora* daret.
MAGNA seorsim audet PICTORVE POETAVE: PICTOR,
Hem quam *MAGNA* audent, atque POETA simul.

FINIS.

Invenit; inque Caput pertrudit Nobile Calcis
 Hac Ferrum, ferri vel Capulum usque sui.
Hostis inest Cranio; Non Nunc Phantasticus, ante
 Ut fuerat, Cranio verus at Hostis inest.
Aspera per Loca sic tractans Fabrilia Clavos
 Urget, jam Subulis, præpenetrata, suis.
Ægriùs impressit; multò ægriùs Extrahit Ensem:
 Vaginæ haud Ensis nempè suetus erat.
Conditus en Hostis Cranio jam primus; Et ipsa
 Jam MATRE in DURA conditus Ensis erat.
Hoste extracturus (Visu mirabile) Calcem,
 En Hostem ad Calcem sic trahit Ille suum:
Tres GALLI haud Passus; toties Pugnacula circum:
 (Tractus ACHILLEIS forsan ut HECTOR Equis.)
Sive triumphali Veterum Se More gerebat:
 (Nam veterum dignus More Triumphus erat.)
Sive erat immeriti Nota sic purganda Pudoris,
 Si quis tot Gyros tot putet esse Fugas.
(Nam totidem Circum circa (tres nempe) ferebant
 Hunc Gyri, à tergis Hoste premente Pedes.)
Calcar adhuc hæret; Bellique Novissima Scena
 Spectatu dignum postulat Artis Opus.
Calcar contra Hostis Cranium Muniverat Arte;
 Calcar & è Cranio liberat Arte, suum.
Scilicet occiso, Pes liber, Mortua GALLO
 Colla premit; citò sic Calcar & extrahitur.
Nec jam Sanguineum, Cerebrosum hoc extrahit: Unde
 Effluxere Oculi; Vita', Animusque fluunt.
Exanimem in GALLUM non sævit, Nullus Amicus
 Est Vivus, Nullus Mortuus Hostis erit.
Circumspectat, habet sua quos Victoria, Testes:
 VICTOREM Astantum tota Corona sonat.

Consonat

Consonat & Victor GALLUS; Pæana Triumphi,
Bellum quæ sonuit, cornea Bucca sonat.
Musa sile; GALLUS dignus Sua (Cæsaris instar)
Solus quique Gerat Prælia, quique Canat:
Charior hoc Musis: Musarum ac Herculis Unum
Templum; Bellona ac Una Minerva Dea est.
Inter Aves GALLUS, GALLOS fortissimus inter,
NOSTER; Nostri ingens, GLORIA, CALCAR habet.
Cum nostro in Pugnam qui sic committitur Hostis
CASTRATUS GALLUS, debilis ecce *Capo* est.
Castrati sic Castra petant sua Martia *Galli*;
ANGLIS nec Virtus, nec Metuenda LUES.
Bella tibi justis, en Lector, picta Figuris!
Et sua sic Noster Vult tibi picta Pugil.
Hæc PRIMUS, justò, PICTOR, *MAJORA*, SECUNDUS
Picta tibi justò Bella *minora* daret.
MAGNA seorsim audet PICTORVE POETAVE: PICTOR,
Hem quam *MAGNA* audent, atque POETA simul.

FINIS.